



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Septima Post Trinitatis, Evangelivm, Marci VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

## DOMINICA SEXTA

*uans pedes Apostolis, & addens praeceptum: Diligite inuicem, & sicut ego feci, ita uos faciatis. Nam lotio pedum propriissime significat illam sanationem offensionum & erratorum, uel iniuriarum.*

## DOMINICA SEPTIMA POST TRINITATIS, EVANGELIUM, Marci VIII.

**I**N diebus illis, cum turba admodum multa esset, nec haberent quod manducarent, uocatis ad se Ihesus discipulis suis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo manent apud me, & non habent quod manducant, & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in uia, Quidam enim ex eis de longe uenerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Vnde istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Illi autem dixerunt: Septem. Et praecepit

POST TRINITATIS. 43.

pit turbæ discumbere super terram, Et accipiens septem panes, gratias agens, fregit, deditq; discipulis suis, ut apponerent, & apposuerunt turbæ, Et habebant pisciculos paucos, & benedixit, ac iussit apponi & hos. manducaverunt autem, & saturati sunt. & sustulerunt, quod superauerat de fragmentis, septem sportas, Erant autem, qui manducaverant, quasi quatuor milia. & dimisit eos.

SEX SVNT PRÆCIPVI

Loei.

- I. Differentia promissionum de rebus æternis, & de rebus præsentibus.
- II. Quòd semper promissioni corporali addenda sit doctrina de cruce.
- III. Cur sint traditæ promissiones de rebus præsentibus.
- IIII. Quo ordine sint petendæ.
- V. Quomodo fides exercenda sit, in petitione corporalium bonorum.
- VI. Applicatio huius historię.

DE PRIMO.

**C**ERTUM EST Euangelium principaliter tradere  
f. iij dere

## DOMINICA SEPTIMA

dere promissionem de rebus æternis. uidelicet, quòd filius Dei sit uictima pro genere humano, & quòd agenti pœnitentiam, & credenti, propter ipsum certo det Deus remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, & uitam æternam. e contra contemnentes Euangelium certo abijciat in æternas pœnas.

Hanc reuelationem uoluntatis diuinæ depromptam ex sinu æterni patris de rebus æternis, sciamus præcipuam Euangelij uocem esse, Sicut Christus inquit Iohannis 6. Hæc est uoluntas patris, ut omnis qui credit in filium, habeat uitam æternam. Hanc doctrinam de rebus æternis primum amplectamur, postea sciamus etiam promissiones additas esse Euangelio, de rebus præsentibus, ut Matth. 6. Primum querite regnum Dei, & cætera adijciuntur uobis. 1. Timoth. 4. Pietas ad omnia utilis est, promissiones habens præsentis uitæ & futuræ. Marc. 10. Qui reliquerit domum propter me, & propter Euangelium, recipiet centuplum in tempore hoc, cum tribulatione. & in futuro uitam æternam. Huc addantur multæ promissiones ex Psalmis. Psal. 36. in diebus famis saturabuntur. Item: Non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem 32. Ut alat eos in fame. 33. Non est inopia timentibus eum. 54. la-  
Et a su-

POST TRINITATIS. 44.

Et a super Dominum curam tuam, & ipse te enu-  
triet. III. Beatus uir, qui timet Dominum, opes &  
diuitiæ in domo eius. Tales sententias multas pro-  
dest in conspectu habere, ut nos erudiant, & con-  
solentur, ut postea dicam. Primum ergo memine-  
rimus esse hæc duo genera promissionum.

DE SECVNDO

SED dicat aliquis: His largis promissionibus  
non uidentur euentus respondere. magna  
imperta, magnæ opes plerunque sunt apud  
impios. Apostoli uagantur, ut errores, mendici,  
& plerunque pij Doctores esuriunt, sunt in odio,  
trucidantur. & uulgare dictum est: Probitas  
laudatur, & alget. Item, exeat aula, qui uult esse  
pius. Imo manifestum est, Ecclesiam subiectam esse  
cruci, & sine præsidijs humanis esse. Ac uere nobis  
accidit, quod de se ac de uniuerso grege suo dixit  
Christus: Filius hominis non habet, ubi reclinet  
caput.

Ad hæc omnia respondeo: Etsi totum genus  
humanum obnoxium est morti, & multis ingen-  
tibus calamitatibus, tamen certo consilio Dei ma-  
gis premitur Ecclesia, uidelicet, ut agnoscamus  
iram Dei aduersus peccata, & sciamus seruari  
Ecclesiam diuinitus. Et tamen uult Deus in hac  
uita esse aliquam suam Ecclesiam. non uult totum  
f iij genus

## DOMINICA SEPTIMA

genus humanum perire, sed aliquem esse florem, aliquem coetum, à qua agnoscatur, inuocetur & celebretur, ut Amos 3. Quomodo si eruat pastor de ore Leonis duo crura, sic eruentur filij Israel. Mandauit igitur credi articulum: Credo Ecclesiam catholicam, id est, credo aliquem esse populum Dei, amplectentem uerbum traditum per Prophetas, & Apostolos, cui catholica Ecclesia testimonium perhibet. & credo talem aliquem coetum semper mansurum esse, sicut dixit: Ero uobiscum usq; ad consummationem seculi &c.

Semper igitur hæc duo coniungi necesse est, doctrinam de cruce, & de consolatione. Verum est, Ecclesiam subiectam esse cruce, ut Christus inquit: Qui uult me sequi, tollat crucem suam. Et Ieremie 12. Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. Et tamen cum uelit Deus manere Ecclesiam, quæ tamen sine præsidij humanis est, ipse proponit consolationes amplissimas & dulcissimas, de defensione, de uictu, de pace, de successibus in nostris functionibus Ecclesiasticis, Politicis, Oeconomicis. Et intelligamus promissiones, ut sonant, nec ad fingamus corruptelas, & ineptas interpretationes. ut multi inepti in preccatione usitata, panem nostrum quotidianum, uetant intelligi panem corporalem. imo de corporali pane, de defensione huius uitæ, & de gubernatione

POST TRINITATIS. 45.

bernatione loquitur, & quidem suppeditat hæc bona Deus, & largitur iuxta suas promissiones.

Cur igitur non respondent euentus? Imo respondent. Ac primum de toto corpore Ecclesiæ intelligantur promissiones. Ut in mari rubro, sic inter mundi tyrannides, & furores Diaboli, assidue Deus Ecclesiam seruat in hac uita. Perspicuum est igitur de toto corpore Ecclesiæ ratas esse promissiones. Semper enim seruatur Ecclesia. & nos in precationibus nostris, primum pro toto corpore petamus, & certo statuamus eam precationem non esse irritam.

DE TERTIO.

**C**UR promissiones corporales tradite sint, Prima causa hæc est: Mens humana sine luce fidei cogitat, aut casu ditescere homines, ut Pythium ex uenis metallicis. aut industria, seu iusta seu iniusta. nec firmiter statuit aliquo Dei opere, nobis offerri, defendi & augeri facultates. Videt enim multos crescere peculatu, & uarijs fraudibus, ut Crassum. Etsi autem sinit Deus grassari fures & prædones, publicè & priuatim aliquandiu, tamen tandem excutit eos ex fortunis, ut testetur se non negligere facultatum administrationes, aut acquisitiones. ideo dictum est: *Ve, qui prædaris, quia uicissim spoliaberis.* Et ab experientia

## DOMINICA SEPTIMA

perientia dictum illud ortum est: Male partum, male disperit. Et Pythium illum diuitem fame periisse dicunt, Et quam miserabilis fuerit exitus Craffi, legatur in eius historia.

Rursus etiam tradidit Deus promissiones iustis, ut uere statuunt, hæc bona non obijci casu, nec parari tantum humana industria. Quanquam enim Deus uult laborare omnes, ut quenque iubet uocatio, & uult labore honesto res parari & retineri, non uult profusionibus dissipari, sicut dicitur in Salomone: Substantiam tuam ne des crudeli. tamen interim uult nos scire, hanc diligentiam solam non adferre facultates. Sicut agricola labor solus non gignit fruges, sed quia Deus fecundat terram, proueniunt, Et sicuti exercitus labor non solus parit uictoriam, sed necesse est accedere auxilium diuinum, sicut dicitur: Fallax equus ad salutem est. Ita quia Deus fideliter seruienti in uocatione fauet, facultates sua bonitate prouehit. In hanc sententiam dicit Salomon: Benedictio Domini diuites facit. Et Dauid 1. Reg. 17. Sciat uniuersa Ecclesia hæc, quod non in gladio saluat Dominus, ipsius est enim bellum. Ideo & interdum exempla proponit, ubi sine causis secundis auget res, ut pauit uiduam Sareptanam, pauit populum in deserto, dedit Isaac centuplum, cum in alijs agris non proueniret tantum, Et sunt quotidiana



POST TRINITATIS. 46.

diana exempla' in familijs pijs, quæ experiuntur sibi diuinitus offerri accessiones, aut certe defendi suas res, etiamsi aliqua detrimenta, iactura, & ærummæ interueniunt. Nam ut dictum est, Ecclesia simul subiecta est cruci. Hæc infigēda sunt animo, ut discamus articulum de creatione, credamus facultates Dei beneficia esse, ut uerè possimus à Deo petere panem quotidianum. Nam qui non credunt Dei munera hæc esse, ociose hæc uerba recitāt, & Deum contumelia afficiunt. Iam cogitemus, quam pauci piè recitent hæc uerba: Panem quotidianum da nobis hodie. Nam alius fingit, Deo hæc non esse curæ, alius cogitat se indignum esse, sibi certe non dari hæc munera à Deo. Deniq; magnæ sunt tenebræ in animis, quas per uerbum Dei tolli oportet.

ALtera causa est, cur hæc promissiones traditæ sint. Cum Deus uelit in hac uita semper aliquam esse suam Ecclesiam, opus est corpori uictu, hospitio, defensione, politijs, pace aliqua, ut educari soboles, & coli studia possint. Ideo & addidit has promissiones, & hæc beneficia præstat Deus, sed mirabiliter. Semper grassatur Diabolus aduersus Ecclesiam, & sunt assidui tumultus in mundo, quibus humani generis peccata assidua horribiliter puniuntur. inter hos tumultus seruat Deus Ecclesiam suam, ut stantem in mari rubro seruabat. Et manet corpus, etiamsi aliqua mēbra trucidantur,

tur,

## DOMINICA SEPTIMA

tur. ut manet Davidis exercitus, etiamsi aliqui milites præliantes interficiuntur. Quia ut toties dictum est, adhuc subiecta est cruce Ecclesia.

Magnam igitur consolationem proponunt nobis hæc promissiones. Angimur in tantis tumultibus imperiorum, de sede Ecclesiæ, de studijs, Etsi autem alia tempora alijs sunt tranquilliora, & sciliciora, tamen sciamus sedem Ecclesiæ & studiorum Deo curæ futuram esse, ubi sit futura, ut in Esa. dicitur: In utero meo portamini. Senescentem Ecclesiam portabo. Item, etiamsi mater obliuisceretur filij sui, ego non obliuiscar tui, pugillo manus meæ complectar te. Has consolationes sæpe nobis proponamus, ut bona cum spe propagemus doctrinam, & fide petamus hæc bona à Deo.

TERTIA igitur causa est, cur hæc promissiones traditæ sint, ut sint exercitia fidei, & inuocationis, Vult Deus se agnosci per inuocationem. Ideo multa proposuit, quæ nos de inuocatione admo-  
neant. Tradidit promissiones gratiæ, & beneficiorum corporalium, & uitæ æternæ. vult nos ad se confugere, etiam cum à tota rerum natura deserti & proiecti uidemur. Sicut David inquit: Pater & mater dereliquit me, Dominus autem suscepit me.

DE QVAR

POST TRINITATIS. 47.

DE QVARTO.

Quo ordinæ sint petendæ.

**O**Rdo in dicto Christi clare propositus est :  
Primum quærite regnum Dei, & cætera  
adijcientur uobis. Prima sit cura, ut Deo  
obediamus, celebremus eum uera discendo, & do-  
cendo. Imo etiam primum petamus, ut accendat  
in nobis ueram lucem Spiritu sancto suo propter  
Christum, sicut præcipitur: Petite, & accipietis.  
Si homines possunt bona dare hominibus, quanto  
magis Pater cœlestis dabit spiritum sanctum pe-  
tentibus? Sic & Dauid precatur: Fac cū seruo tuo  
secundum misericordiam tuam, & iustificationes  
tuas doce me. Sic & Salomon laudatur, quod pri-  
mum petiuit sapientiam. & additur: Ideo etiam  
diuitias dabo. Et Prouerb. 30. ostenditur ordo :  
Duo rogauit te, Vanitatem & mendacium longe  
depelle à me. Mendacitatem, & diuitias ne dederis  
mibi. Et causas recitat, cur mediocritatem optet.  
Quia opulenti facilius indulgent prauis cupidita-  
tibus, & inter uoluptates obliuiscuntur Dei, &  
paulatim longius ruunt. Sicut Ezech. 16. dici-  
tur: Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, satura-  
tas panis, abundantia, ocium, & manum egenti  
non porrigebant. Ideo eleuati sunt, & fecerunt  
abominationes. Et noti sunt uersiculi :

Luxuriant

## DOMINICA SEPTIMA

Luxuriant animi rebus plerunq; secundis,  
Nec facile est æqua cōmoda mente pati. Item.  
Pectora dum gaudent, nec sunt astricta dolore,  
Ipsa patent, blanda tunc subit arte Venus .

Ideo Salomon non petit opulentiam, sed tamen  
petit necessaria uictui, ut textus loquitur: Ne sur-  
ta aut periuria committam . Nam ut opulentia  
alio uoluptates, sic econtra egestas multos impel-  
lit ad malas artes .

Hæc pericula prospiciant honestæ mentes in  
utraque parte, ut petant à Deo necessaria, sed or-  
dine ut dictum est. Sciant item cum hac petitione  
facultatum postulari laborem honestum iuxta uo-  
cationem. Sicut sæpe præcipitur. 1. Thessa. 4. Ad-  
hortamur uos, ut in hac re excellatis, & ambitio-  
se hoc agatis, uidelicet retinere tranquillitatem,  
& facere proprium officium, & laborare mani-  
bus uestris. Hæc breuis sententiâ plena est poli-  
ticæ sapientiæ, & diligenter consideranda. Nam  
omnibus ciuitatibus maxime periculosa sunt in-  
genia inquieta, & τολυπραγμονικά. Ut multi  
sunt, qui quia habent ingenia inquieta, multa re-  
gere conantur, & condunt multas nouas ordina-  
tiones, deinde nec manent intra metas sui officij,  
& attingunt aliena .

Sic Alcibiades & Demosthenes euerterunt  
Athenas. Tantum enim ideo mouerunt non necessa-  
rios

## POST TRINITATIS. 48.

rios tumultus, quia habebant naturas inquietas. Ideo præcipit Paulus, ut simus quieti, non turbulenti, id est, nihil nisi necessaria moueamus, nihil extra uocationem tentemus. Seneca recitat ex Cætone dictum: *Emas, non quod opus est, sed quod necesse est.* Idem in negocijs seruetur. Non solum quid profit aut opus sit spectemus, sed quid necesse sit moueri. Et apud Thucididen dicitur, oportere esse amantem tranquillitatis, & tunc cum necesse est aliquid gerere, ac rem non turbulentum in mouendo, & in agendo segnem.

Hæc de labore simul cogitanda sunt, quoties petimus corporalia, quia ignaui peccatum est. Et quale monstrum est homo, qui tantum inutile pondus est terræ, nihil confert operarum ad Dei noticiam propagandam, aut cæteras bonas res in uita tuendas, & ornandas. Imo ad Titum nominatim præcipitur, ut discamus utilia uitæ. Interim uero sciamus, Deum ita benedicere labori, cum addimus inuocationem, sicut Luc: 5. dicitur: *In uerbo tuo laxabo rete.* Et Psal. 33. *Iste pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum.* Item: *Petite, & accipietis.*

### DE QUINTO.

**Q**uomodo sit exercenda fides in petitione corporaliū. Hic præcipuus locus est in

## DOMINICA SEPTIMA

est in hac doctrina de promissionibus. Primum autem sciendum est, semper petitioni corporalium oportere prælucere fidem, qua credimus nos propter Christum recipi, & exaudiri. Imo ut hæc fides in nobis accendatur & crescat, ideo tam uariæ externæ occasiones, actiones, pericula, afflictiones propositæ sunt. Sciamus ergo primam & summam promissionem de mediatore, & de reconciliatione, semper simul complectendam esse. Ideo cum citantur dicta de fide, etiamsi externa obiecta uariant, tamen omnia simul complectuntur hanc fidem de reconciliatione. Abraham, Iacob, Dauid, ideo petunt & expectant à Deo defensionem, quia credunt se receptos esse, & exaudiri à Deo propter promissum Dominum. Quotidie igitur cum ad mensam recitas hæc uerba: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. quia mox obstrepit infirmitas nostra: Deus te indignum non exaudit, te non uult defensum aut alitum: hic intuenda est promissio de Christo, & complectenda fides, quòd propter mediatorem recipiamur, & exaudiamur. Ideo mox sequitur: Et remitte nobis debita nostra.

Semper igitur in conspectu sit hæc sententia: Per Christum habemus accessum ad patrem. ideo necesse est semper prælucere hanc fidem de remissione peccatorum propter Christum.

POST TRINITATIS. 49.

stum. Postea fides illa tria cogitet, quæ supra recensui, Deum uelle à se peti bona corporis. PRIMUM, ut credamus ea dari diuinitus, non putemus obijci casu. SECUNDO, Quia uult seruari Ecclesiam in hac uita, dat uictum, defensionem, hospitiam, mirabiliter &c. TERTIO, Vult agnosci ac coli Deus hac inuocatione, ideo multas res proposuit, quas peti uult. Vult & confirmari fidem, petitione corporalium. Nam qui non audet petere corporalia, & iam dubitat de presentia Dei, quomodo petet æterna, quomodo statuet de presentia Dei, cum deserimur ab omnibus creaturis? Esa. 57. Habitans cum contrito & humili spiritu, ut uiuificet spiritum humilium, & cor contritorum. Confirmatur enim fides, cum experientia ostendit non fuisse irritam precationem, ut in Psalmo dicitur: Iste pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum. Postremo, uult etiam Deus gratiarum actione coli propter liberationes, ut dulcissimè dicitur 2. Corinth. 1. ubi Paulus iubet multos pro se petere, ut multi agant gratias &c. Hic ordo, & hæc causæ omnes cogitandæ sunt, cum petimus corporalia. Et satis magna pericula sunt, publica & priuata, quæ admonent nos, ut hæc cogitemus. Cum Ecclesia staret in mari rubro, certe cogitandum primum fuit Moysi, an Deo placeret, & cur placeret, scilicet propter promissum

g missum

## DOMINICA SEPTIMA

missum Dominum. deinde uidit reipsa salutem corporum à Deo dari. cogitauit Deum in hac uita uelle seruare Ecclesiam, cogitauit item Deum uelle in uobis crescere agnitionem in inuocatione inter talia pericula, & miracula. Semper autem Ecclesia uersatur in periculis ingentibus, penè ut stans in mari rubro, iam Turcica arma in eam grassantur, & alie multæ difficultates domesticae singulos exercent. Nulli certa sedes est, uita multorum piorum periclitatur. Admoniti ergo publicis & nostris periculis, petamus auxilium & defensionem, illo ordine, ut dictum est, & causas illas cogitemus, ut fides exerceatur. Deinde uero etiam consecuti beneficia, gratias agamus, & maiori studio in omni officio declaremus gratitudinem.

Sed hic obijcit humana imbecillitas, Quid attinet petere, cum sciamus oportere nos adfligi? sicut scriptum est: Corpus autem subiectum est morti propter peccatum. item manifestum est sepius non liberari ex præsentibus calamitatibus Sanctos, ut Ionathan, Macabeum, & alios. Et Christus dicit: Veruntamen non mea uoluntas, sed tua fiat. Cum igitur debeamus offerre obedientiam, quid prodest petitio, & quidem cum dubitatione? Respondeo: Tenenda est regula firmissima, quòd Deus mandauerit, & postulet inuocationem,

nem,



## POST TRINITATIS. 50.

ocationem, & quòd nunquam sit inanis aut irrita  
inuocatio piorum, etiamsi liberatio difertur, aut  
non ita respondent euentus, ut nos imaginamur.  
& non est nostrum prescribere Deo modum opi-  
tulandi, & nos ad obedientiam obligati sumus,  
sicut Christus inquit: *Tua uoluntas fiat &c.* Sed  
maxima pars hominum, quia non uidet subito  
euentus precatationis, somniat inuocationem inane  
murmur esse. Huic impiæ imaginationi acerrimè  
repugnandum est, & pellendæ sunt hæ tenebræ  
collectis promissionibus, *inuoca me in die tribula-  
tionis, & eripiam te. item: Petite, & accipietis &c.*

Deinde sciamus semper duo obiecta includenda  
esse in petitione corporaliū. uniuersam Ecclesiā,  
& priuatā necessitatē. Petitio pij semper impetrat  
uniuersæ Ecclesiæ, & ita fides statuat ratam esse  
hanc petitionē, & non dubitet recipi petitionē à  
Deo pro uniuersa Ecclesia. Ita David orans pro  
exercitu, primum petit non pro se priuatim, sed  
pro cœtu, quia scimus Deū dare bona corporalia,  
ut in hac uita Ecclesia seruetur. Priuatim uero  
pro nobis petere debemus, cum hac conditione, ut  
nos ad obedientiam offeramus, sicut se offert Chri-  
stus. Ita David & petit, & paratus est ad obedien-  
tiam. Quia scit in talibus periculis Deum uelle ali-  
quos obedire. & tamen quia seruetur exercitus,  
multa membra seruari, necesse est, & cæteris mi-  
tigatur malum.

g ij sic lere

## DOMINICA SEPTIMA

Sic Ieremie precatio proderat primum populo, & si non sciebat, quos & quomodo seruaturus esset Deus. deinde & ipsi proderat, & tamen ipse ad obedientiam paratus erat, & sciebat Deum seruare suos ministros, donec curriculum absoluerent, & dare alijs aliud curriculum. Elias circiter uiginti annos docuit. Eliseus circiter septuaginta. Esaias circiter octoginta. Ieremias quadraginta annis usque ad excidium Ierosolymæ, & postea aliquandiu in Ægypto reliquijs suorum præfuit, donec ab Aprie Tyranno interfectus est. Daniel docuit amplius septuaginta annis. Iohannes Baptista biennio. Christus triennio. Paulus triginta quinque annis. Iohannes Apostolus sexaginta octo annis. Iacobus frater Iohannis triennio post ascensionem Christi. Iacobus minor annis triginta, interfectus aliquanto ante obsidionem Ierosolymæ. Timotheus sub Nerone interfectus dicitur. Titi senectus recitatur, tempus prædicationis non certo scitur, sed dicunt mortuum esse anno ætatis suæ nonagesimo quarto. Polycarpus interfectus est anno ætatis suæ octuagesimo sexto, qui adolescens fuerat auditor Iohannis Euangelistæ. Auditor Polycarpi Irenæus, sub Maximiano interfectus est Syrmij, uixit igitur annos interim circiter octoginta. Hæc dissimilitudo obseruanda est, ut sciamus Deum alia certamina

POST TRINITATIS. 51.

certamina, & alia spacia alijs præscripsisse, & tamen consideremus aliquibus prorogatam esse uitam, ut pij testes & propagatores doctrine suæ perstites essent.

David petens defensionem, dulcissima figura utitur: Absconde me in tabernaculo tuo, id est, in Ecclesia tua. Hic simul complectitur petitionem pro alijs, & causam, defende me cum Ecclesia tua, & propter Ecclesiam tuam. Nam ideo tantum corporalia bona promissa sunt, ut seruiant Ecclesie. ideo defensio petitur, ut seruire Ecclesie, & nostris liberis possimus. Et quia Deus pro toto corpore uult peti, sciamus semper hanc petitionem ratam esse, & toti corpori aliquid boni impetrare. Etsi autem singuli ad obedientiam parati esse debemus, tamen & singulis sæpe impetratur liberatio, & cum cætus aliquis seruetur, multos seruari necesse est. Excitemus ergo nos ad petenda bona corporalia, collectis causis, quia Deus præcipit ea peti pro nobis & pro alijs, uult intelligi publicas & priuatas calamitates poenas esse peccatorum mundi, ideo uult nos ueniam petere, & affici cura nostræ & communis salutis uult crescere his exercitijs fidem, timorem, & dilectionem.

SEXTVS LOCVS.

Applicatio historie Marc. 8.

g iij

Quod

## DOMINICA SEPTIMA

**Q**uod Christus pascit auditores suos, ostenditur exemplum promissionis: *Primum querite regnum Dei, & cetera adijcientur uobis.* Hac fide sequamur Christum, simus fideles in studio, & propagatione Euangelij, & expectemus à filio Dei auxilium, uictum, & defensionem.

Quod uero iubet Apostolos proponere, & colligere reliquias, monet gubernatores Ecclesie, ut curent Eleemosynas dari, & sciant non minui, sed augeri facultates eleemosynis. Tectè & doctrinam significat. hanc proponant Doctores, & colligant reliquias, curent propagari ueras enarrationes, ne doctrine lux extinguatur ad posteros, & hoc studio ipsi doctores fiunt eruditiores. Sportæ uero significant literas & Scholas, in quibus doctrinam custodiri necesse est.

## DOMINICA OCTAVA POST TRINITATIS, EVANGELIUM, Matth. VII.

**A**ttēditē a falsis Prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.